AD CARDINALITIAM.

QVÆSTIO MEDICA.

Matutinis excutienda diſputationibus die Iouis 17. Aprilis in ſcholis Medicorum Pariſi. D. Michaële Mareſcot medico Regio moderatore prudentiſſimo.

Eſt ne methodus medendi medicamentorum varietate potior?

METHODVS medendi id eſt, in arte medica, quod forma in materia, animus in corpore, lex & magiſtratus in republica, ordo in exercitu. Ea non ſola obſeruatione, vt empirica (cuius etiam nomine planè indigni ſunt hodierni ἄπειροι) non per communitates στέγνωσιν, καὶ ῥύσιν, vt methodus Theſſali, ſed per indicationes curādi rationem præſcribit, tandémque experientia confirmat. Eſt autem indicatio ἔμφασις, ſeu φῶς καταλαμπόμενον, & mentis lumen, quod per cognitionem cauſæ, natureq́; morbi remedium veluti digito indicat. Generalis autem indicatio eſt cōtrarietas. Vt enim natura & vires ſimilibus ſeruantur, ſic morbus contrariorum pari exceſſu, non ſimilibus (vt nugantur paracelſici) profligatur. Particulares verò indicationes ſumūtur à natura morbi, ægri temperamento, viribus, conſuetudine, vitæ inſtituto, regione, anni tēpore, cœli conſtitutione, parte affecta, & ætate, quæ in ſenibus & pueris mitti ſanguinem non prohibet.

AT verò ſcopi therapeutici, quibus indicationes illæ in actum educuntur, varij ſunt & multiplices: victus ratio, quæ circa ſtatum non ſemper tenuior eſſe debet: communium excrementorum eductio, quæ enematis, quibus etiam nutriendi vis ineſſe poteſt, commodè perficitur: Sanguinis miſſio κατ' ἴξιν, & facto morbo nunquam ex diſtantiſſima parte imperanda. Purgatio facilis, & blanda: coctio humorum non turgentium: purgatio plenior, quæ interdum etiam crudis humoribus citra ὀργασμὸν vtilis eſſe poteſt. Reuulſio, deriuatio, vacuatio ſimplex, quæ in pleuritide & inflammationibus internis primo quoque tempore ſimul fieri debent. Reliquiarum conſumptio, tandémque partium corroboratio. Homerica verò medicatio vt vana & ſuperſtitioſa, ac ridicula omnino omittenda.

MEDICAMENTA in arte medica ſunt velut materia, vel potius inſtrumenta. Medicamentum verò dicitur quod naturam noſtram immutat: Aliud actu, aliud ſola vi & facultate, aliud qualitate manifeſta, aliud occulta, quod illi ſemper eſt poſtponendum: Aliud ἀλλοιωτικόν, aliud καθαρτικόν. Aliud ſimplex, vt roſa, abſinthium, quanquam nihil tale natura, hæc enim varias ſubſtantias & qualitates miſcuit, quas arte chymica omninò ſeparare velle, eſt rerum naturam deprauare & corrumpere: aliud compoſitum, vt theriace. Simplicium facultates aliæ primæ, ſcilicet calor, frigus, humor, ſiccitas, quarum gradus (apud medicos) quatuor. Aliæ ſecundæ, quæ ex materiæ conditione temperamenti vi perfuſa oriuntur. Aliæ tertiæ, quæ facultates & proprietates totius ſubſtantiæ, quæ nihil eſt aliud quàm certus temperamenti modus & ratio, continent.

EX omni ferè re medicamenta depromuntur: Ex vegetalibus & animalibus, quàm ex mineralibus, & meliora & tutiora. Varijs formis exhibentur: Interdum integra, vt rheum, nunquam torrefaciendum, interdum infuſa, expreſſa, decocta, vnde apozemata, Iulepi, & ſerapia extractis recentiorum multò præſtantiora, naturæq́ noſtræ magis amica. Diſtillata verò nulla cathartica. Inſtaurantia infuſione, vel coctione potius, quàm diſtillatione paranda. Sales omnes cauſtici. Chymica ferè omnia, dum depurari dicuntur, natiuam vim amittunt caloremque igneum noſtro minimè analogum acquirunt: vnde eos qui ijs frequenter vtuntur ὀλιγοχρονίους effici, Crato, alter chymicorum deus, ſcripſit.

METHODVS medendi, qua ſola medicus herbarijs & pharmacopæis præſtat, & medicamentorum varietas medico cognoſcenda: quin & medicamenta ſæpè mutare expedit, non modò propter affectuum varietatem, ſed & propter ægrorum ἰδιοσυγκρασίαν. Incidunt tamen ſæpè tempora, quibus medicamētis nullus ferè eſt locus: paruos morbos natura per ſe curat: plerique morbi non ſunt curandi, vt hæmorrhois, varix, arthritis: quin & ſæpè excitandi, vel nouandi & augendi ſunt: interdum vtiles, vt quartana. In contumacibus morbis ſæpè remedia omittere, & feriari medici iubentur. Methodus verò curandi nullo non tempore requiritur. Nam etſi quoſdam, quibus ars non profuit, temeritas adiuuit, nunquam tamen fortuita, falláxque curatio medico inſtituenda, ſed λογικὴ μέθοδος perpetuò ſequenda & amplectenda eſt.



Ergo methodus medendi medicamentorum varietate potior.

Aſſerebat PETRVS LE MARESCHAL Cœnomanenſis Boneſtabuleus, Anno Domini 1603.